

IN NOMINE JESU!
DECAS
POSITIONUM
LOGICARUM

In Illustrissimâ, quæ VVittebergæ est, Electro-
rali Academia

PRÆSIDE

VIRO Praclarissimo atq; Excellentissimo

DN. CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Logicæ & Metaphysicæ Professore Publ.

longè Celeberrimo,

Dn. Præceptore, Patrono ac studiorum Promotore

ætatem colendo

*Publicè ritè rectèq; philosophantium disquisitioni
expositarum*

à

M. CHRISTIANO Grünebergen /

Stetinensi Pomerano.

In Auditorio Majori

Ad d. 22. Julii Anno 1713 LXXIII.

horis matutinis.



VVITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. Johann. Haken.

79.

LXXIII 77. 6.

Coll. diss. A
226, 42

Diss. A. 226. (42)



Stoa.
Landes-
Bibl.

POSITIO I.



Contra Scheiblerum *Introduct. Logic. c. I. n. 12. pag m. iii.* Keckermannú *Præcognit. Logic. Tractat. I. c. II. pag. m. 3.* Amandum Polanum *Libr. I. p. m. 1.* eorumq; asseclas Genus Logicæ Artem esse negamus. Argumentis utuntur quàm à solidis rationibus ab autoritate magis *Alexandri, Boëthii, Agricola, Ciceronis, Julii Pacii, Monlorii, Simonis Simonii, Zabarella & Aristotelis* petitis. Requisita Artis, ab ipso Keckermanno passim ex Aristotele collecta, sed obtorto collò in sententiam suam tracta, prohibent imprimis, quò minus illam Logicæ genus constitui æquò ferre possimus animò: quæ si aptare sibi posset, non invideremus illi hoc nominis. Nec juvabit quenquam, si fortè inter vocem Artis strictè & latè acceptam distingvat; siquidem paratissimam habemus respon- sionem Horneji *Exercitat. Logic. I. §. XVI. Logica non potest esse Ars. Nam si latè vocem Artis capias, abusus est vocabuli; sin stri- ctè, opificiis solùm illud competit.*

POSITIO II.

Eorum verò sententiam nostrò probamus calculò, qui Habitum animi instrumentalem Genus Logicæ verum & adæ- quatum faciunt: idque eò lubentiùs, quò major nos tenet Dnn. Præceptorum amor, quibus idem genus placet.

POSITIO III.

Quum multi doctrinam Generis plurimis difficultatibus, juxta & absurditatibus impediverint, variè illud definiendo, nos operæ pretium haut defuturum rati veram h. l. apponere definitionem non pigrabimur. Atque ut purpura juxta pur- puram nitidiùs splendet: ita nec veræ Generis definitioni lucis nonnihil dubitamus accessurum, si juxta alias ponatur.

POSI-

119x

POSITIO IV.

Keckermannus *Lib. I. system. Logic. c. III. pag. m. 87. col. 2.* hoc modò vel definit vel describit: *Genus est, cui Species subjacent.* Amandus Polanus *lib. I. Log. pag. m. 87.* hanc tradit definitionem: *Genus est totum, speciebus singulis totam essentiam suam equaliter communicans.* Scheiblerus *Introduet. Logic. c. III pag. m. 230.* hac delectatur præ aliis: *Genus est universale, quod de pluribus differentibus specie in questione quid est? prædicatur non conversim.* Sed Toletus per Prædicabile describendum duxit, tantum, ut Individuo sextum inter Prædicabilia locum faceret. Autore Hornejo *Exercit. Logic. II. §. IV. pag. m. 33. & 34.* Quibus nos singulis & universis hanc Porphyrii anteponimus: *Genus est, quod de pluribus & differentibus specie in quid prædicatur.* Cùm nulla earum in bonæ definitionis leges non peccet. Franciscus de Raconis *Tract. I. Disp. 2. sect. 1. q. 3. pag. m. 35. col. 1.* rem acu tetigit, sic falsus: *Ut universalis in communi, sic Generis definitio duplici modo tradi potest; vel per proprietatem, nimirum prædicandi aptitudinem, hoc modò: Genus est universale, aptum prædicari de multis specie differentibus, in questione quid est; vel per essentiam, scilicet aptitudinem existendi in multis, his verbis: Genus est universale, aptum inesse multis specie differentibus, tanquam pars essentialis, respondens materie.*

POSITIO V.

Speciei quoque variæ circumferuntur definitiones. Porphyrius non uno eam modo definire sat habuit: sed uti diversum accipit respectum, sic diversâ eam excipit definitione. Scheiblerus duas numerat *Introd. Logic. c. III. n. 10. p. m. 237.* Hornejus *Exerc. II. §. IX. p. m. 37. &* Franc. de Raconis verò *Tract. I. Disp. II. sect. 2. q. 3. art. 1. & 2. p. m. 43.* tertiam addunt. (1) Species est, quod generi immediatè subjicitur. (2) Species est, de quo genus prædicatur in quid? (3) Species est, quæ de pluribus & numerò differentibus in quid est prædicatur. Amandus Polanus *Lib. 1. Log. pag. m. 92.* ita definiri rectissimè falsò credit: *Species est pars generis, cujus essentiam totam participat.* Sed Scheiblero hæc arridet maximè Prædicabilis hujus definitio:

Sp e-

Species est universale, de quo enunciatur genus. Introd. Log. c. III. p.m. 230. Sed cum nulla harum amissi bonæ definitionis exactè congruat, cum Ebelio ita rectissimè definiri censemur: Species est Prædicabile, Notio secunda simplex) quod de pluribus numerò tantum (solò *Franc. de Rac.*) differentibus prædicatur in quid. *Compend. Log. plen. lib. I. c. 5. p. m. 32.*

POSITIO VI.

Porphyrii divisio Proprii non est accurata, ut præter alios rectè observavit Excellent. Scharffius. Cum Accidentia confundat cum Propriis.

POSITIO VII.

Relata dicuntur, quorum totum esse consistit in respectu ad aliud. Hæc communiter in *Mutua* & *Non-mutua* solent distingvi: si verò æquâ mente rem trutinemus, apparebit, nulla dari relata *Non-mutua*; imò relata non-mutua esse *σινεγῶλον*, monstrum, Non-ens, nihil. Tum, quod totum relatorum esse consistit in respectu ad aliud; tum, quod relata se mutuò tollunt & ponunt. Quibus alias possemus addere rationes, nisi instituti nostri alienum esset.

POSITIO VIII.

Oppositio est duplex: *Contraria* & *Contradictoria*. Aliis tamen placet tertium genus *Subcontrariæ* addere.


POSITIO IX.

Syllogismi infiniti sunt affirmativi. Ubi tamen nolumus negligi respectum quarundam propositionum extra Syllogismum & in illo spectatarum.

POSITIO X.

In Syllogismis *Disjunctivis* non argumentamur ab unius positione ad positionem alterius, neque ab unius remotione ad remotionem alterius: Sed remotò unò ponitur alterum & contra.

SOLI DEO GLORIA.



Coll. diss. A. 226, misc. 42.